



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

10. A lobo nos doceri, vt in diuino auxilio confidamus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

quidem auferes; quia nihil eripitur, nisi venienti; nihil cogor, nihil patior inuitu, non seruo, sed assentio Deo. Immo hæc ipsa est optima seruitus, seruire non inuitum.

2. Docet nos per Iobum Deus, mirabiles quidem esse Sanctos, qui in prosperitate vitæ ei constanter adhærent; longè tamen mirabiliores, si ne aduersis quidem pressi eum deserant; sed, velut vehementi vento afflati pallium magis stringunt & ad se colligunt, ita & illi, quò magis vexantur, & affliguntur, eò magis dicant; *mibi adharere Deo bonum est*. Diffidunt viribus suis, nitiuntur diuinis; quia in eo ipso, quo infirmitates suas fortissimè, nec sine prodigio sustinent, imbecillitates suas agnoscunt, atque ita cum summa virtute summam seruant humilitatem. Quod identidem fecisse Iobum legimus; quem multi eiusdem nobiscum naturæ hominem esse negassent, si non tot humanis miserijs circumscriptum vidissent. Quemadmodum igitur morbi illius naturæ humanæ, ita portentosa patientia auxilio diuino tribuebatur. Nihil ergo nobis metuendum est, ne supra vires nostras patiamur, vel enim in Iobo ostensam maximam diuinæ gratiæ suæ efficacitatem Deus nobis non negabit. Infirma sumus instrumenta, sed *omnia possum in eo, qui me confortat*: ait ille. Etiam misero calamo eleganter scribit præstans amanuensis. Diffide instrumento, ad eum respice, qui mouet instrumentum. Iobum intuere, Lazarum considera, non erat ijs caro ænea, eiusdem tecum naturæ fuerunt. Quod in istis potuit diuina gratia, in te potest. Itaq; Iacobus quoq; Apostolus Eliam Prophetam in feruore & fide orationis imitandum proponens ait: *Elias homo erat similis nobis passibilis*, eisdem miserijs & passionibus subiectus, quibus nos: Et sapiens: *Sum & ego*, ait, *mortalis homo similis omnibus*, & nihilominus optaui, & datus est mihi sensus, &c. Ad eundem modum, quicumque, quacumque obsidentur inualitudine, Iobi patientiam constantiamque sibi ante oculos ponant: eandem omnes cum illo habemus naturam, idem pati, paria sentire possumus, & ex parte nonnumquam sentimus; sed possumus eadem quoque virtute superare: quia eiusdem quoque gratiæ sumus capaces, dummodo nos velimus ad eandem quoque obtinendam animare. Homines sumus, homo fuit & Iob,

X.

Psal. 72. 28.

Phil. 4. 19.

Iac. 5. 17.

Sap. 7. 1. 7.

homo

Tob. 2, 12

homo fuit & Tobias: Hanc autem tentationem, idè permittit Dominus evenire illi, ut posteris daretur exemplum patientia eius, sicut & sancti Iob. Homines sumus, homo fuit Lessius; homo fuit & Lydwina, & quidem sexus imbecillioris, ut si viris illis nos conferre non audemus, saltem masculinum animum in femina imitemur.

XI
Aul. Gellius lib. 11,
no. Attic.
cap. 5.

Cur nos non faciamus id in Sanctis, si Ethnici homines à Stoicis suis id disci voluerunt? Quum Delphos ad Pythia convenit, totius ferme Gracia visendum Philosophus Taurus irat, ait Gellius, nosq; ei comites essemus; inq; eo itinere Lebadiam venissemus, quod est oppidum antiquum in terra Bœotia: affertur ibi ad Taurum, amicum eius, quempiam nobilem in Stoica disciplina Philosophum, agra valetudine oppressum. Tunc omisso itinere, quod alioquin maturandum erat, & relictis vehiculis, pergit eum properè videre, nosq; de more, quem in locum cumq; iret, sequuti sumus, & ubi ad ades, in quibus ille agrotus erat, pervenimus, vidimus hominem doloribus cruciatibusq; alni, quod Græci colon dicunt, & febris simul rapidè afflicti: gemitusq; ex eo compressos erumpere: spiritusq; & anhelitus e pectore eius euadere, non dolorem magis indicantes, quam pugnam aduersus dolorem. Post deinde cum Taurus & medicos accersisset, collocutusq; de faciendâ medela esset, & eum ipsam ad retinendam patientiam testimonio tolerantia, quam videbat, perhibito, stabilisset, egressusq; deinde ad vehicula & ad comites rediremus: Vidistis, inquit Taurus, non sane incundum spectaculum, sed cognitum tamen utile, conredientes compugnantesq; Philosophum & dolorem? faciebat vis illa & natura morbi, quod erat suum, distractionem cruciatumq; membrorum; faciebat contrâ ratio & natura animi, quod erat aque suum: perpetiebatur & cohibebat coërcebatq; intra sese violentias effrenati doloris. Nullos eiulatus, nullas complorationes, ne vllas quidem voces indecoras edebat: signa tamen quadam, sicut vidistis, existebant virtutis & corporis de possessione hominis pugnantium. Et intrâ. Itaque vidistis Philosophum ratione decreti sui mixtum, cum petulantia morbi dolorisq; exultantia colluctantem, nihil cedentem, nihil consententem, neq; ut pleriq; dolentes solent, eiulantem atq; lamentantem, ac miserum se se & infelicem appellantem, sed acres tantum anhelitus & robustos gemitus edentem, signa atq; indicia non victi neq; oppressi a dolore,